

Mos iuran- ninum שבע iuramentum, votum; est autem apud
 di Iudaeoru Iudaeos haec forma iuramenti. Qui praestat iura-
 & testium mentum, tenet librum legis brachio suo, & lingua
 sancta iurat in hunc modum. Ego iuro per Deum
 Israelis, per eum, qui dicitur clemens, & miseri-
 cors, quod huic nihil debeam. Iudices dicunt. Nos
 adiuramus te per D um, aut per eum, qui appel-
 latur misericors, quod non sit in manu tua quic-
 quam, & ipse responderet. Amen.

Idem etiam vocabulum septem significat, &
 Arabes septimanam dicunt שבוע, unde & nomen
 Sabbathi, significat etiam satiatum est, euasit, sa-
 turauit, abundantiam, satietatem, & seuhi, idest
 septimus. At, quod ait Venetus in problem. 145.
 nos 7. canales aditrate influentes in puteum,
 quem in sequenti problemate de luna explicat, cana-
 les vero de 7. planetis, aut numinibus, quibus
 7. Apocalypsis spiritus respondeant, cabalisticum
 est, ac proinde contemnendum, & omnino reij-
 ciendum; & quidem risu mihi dignum esse vide-

tur, quod existimari Abraham in puteu deduxif-
 se influxus illos; si enim puteu illum pro Christo
 allegoricè intelligi velit, quomodo in eum Abra-
 ham potuit deducere influxum, à quo nos omnes
 accepimus, cuius etiam diem cum ille patriarcha
 vidisset, gaudis est Valeat ergo Venetus cum
 suis supramundanis catallibus, nec enim tempus
 infundendum est in illis explicandis, aut inuenien-
 da ratione, qua dona Dei, orationes, & merita iu-
 storum, sacramenta nostra, & diuina attributa,
 fontes, & canales dici possint; nam quicquid sit
 Venetus catholicè, clarè, & sine amphibologia lo-
 qui debuisset, praesertim cum Cabalistas, Rabbi-
 nos, & magos hìsce loquendi modis, & nomini-
 bus frequenter abuti videamus.

In 147. problemate sensum literalem spernere
 videtur, dum Philisthijm pro demonibus accipit,
 quod tamen per allegoriam verum est, re tamen
 vera illud genus hominum Philisthijm puteum
 obturauerunt.

147. Pro-
 blema.

PROBLEMA CXLVIII.



1. V R dicitur quod plantauit Abraham nemus? An de nemore materiali
 est sermo? Sed ad quid hoc tam sacris eloquijs interferitur? An igitur
 plantauit illud nemus, de quo scriptum est: Et cedi Libani, quas plan-
 2. tauit? Libanem enim, & nemus in archetypo idem censentur. Et hic est
 hortus voluptatis in terra viuentium plantatus. Sed numquid Abraham
 plantauit hunc hortum in terra illa? Nonne Deus ipsum plantauit? cum
 scriptum sit: Plantauerat autem Dominus Deus hortum voluptatis à
 principio. Nonne idem est plantare arbores illias in mente, quod fodere puteum septem, qui
 3. Bersabab dicitur? Plantauit igitur Abraham arbores, & gradus illos in mente sua; sicut de
 verbo, quod est arbor vitæ, dictum est: fuscipite inquit verbum.

Genes. 21.
 Psal. 103.
 Genes. 21.
 Iacob. 12.

1.
 2.
 Versicu-
 lus 33.

CERTVM est mentionem fieri de vero ne-
 more materiali, quod Abraham plantauit He-
 braicè עשיל esel, quod significat omne genus ar-
 borum; 70. verterunt apocryphum agrum; ideo verò
 censendus est ibi arbores plantasse, vel vt exciperet
 peregrinos, vel vt sub vmbra prandere posset,

& puteum obtegeret; sic enim tentorium eius ar-
 bori vicinum erat in Mambre, vt habemus Gen. 13.
 Cetera, quæ in toto problemate habet, coactam
 allegoriam, ne dicam inexplicabilem habent, in
 quibus ostendendis tempus infumere nolo, vt ad
 magis seria properemus.

Genes. 13.

PROBLEMA CXLIX.



1. Q UOMODO mille argentei dati fuerunt Abraham ab Abimelech in velamen
 oculorum Saræ? An in recompensationem iniuriæ ei illatæ, auferendo ab eo
 vxorem? Sed quomodo fuerunt in velamen oculorum Saræ? An quia restituit
 vxorem, & donauit in signum quod malè acceperat. nec fuerat ea abusus? nam
 in slu Dei restituit, & donauit, vt indicat ille numerus millenarius diuinus, vt
 alibi dictum est. Dedit quoque Abraham numerum diuinum, in signum quod
 Deus erat cum eo, sicut ipsi Abimelech à Deo dictum fuerat, Redde vxorem viro suo, quia
 Propheta est, & orabit pro te, & viues.

Genes. 20.

1.
 Versicu-
 lus 16. ca.
 20.

PRO argenteis Hebraicè scriptum est קסס Ke-
 seph, 70. habent diuina. Chaldaus siclos, vi-
 de concludit Delrio tunc in scriptura sermonem
 esse de siclis, quando loquitur de nummis argen-
 teis, aut aureis, hìc verò de maioribus siclis men-
 tionem fieri putat, itaut mille argenti florenos Bel-
 gicos mille, regalesque Hispanicas quater mille
 valeat, apud nos mille libras: קסס Keseph verò si-
 gnificat argentum, seu pecuniam à radice קסס con-
 cupiuit. Budeus autem vult siclum seu didrachma
 argenti esse similem argenteum, qualem vnum ha-
 bent Parisijs in Ecclesia S. Ioannis ex ijs 30. quibus
 Christus venditus fuit; idque pondere didrachmi.
 Millenarium numerum, quem diuinum appel-

lat, eum esse scio, quo plenitudinem rerum Scri-
 ptura sacra designare solet, est enim cubus dena-
 rij omnem longitudinem, latitudinem, & profun-
 ditatem referens; quo numero Virgilius vitur,
 dum varios iridis colores explicat, Mille trahit va-
 rios aduerso sole colores; itaque si hoc sensu nu-
 merum hunc vocet diuinum, quatenus ad res di-
 uinas explicandas aliquando vsurpatur, concedi
 poterit, vel quatenus perfectionem denotat, quæ
 est in solo Deo maxima, non autem in alio sensu;
 nec vlla vis in numeris ponenda est, vt numeri sunt,
 quod aliquando latè demonstrabitur. Ceterum
 illud problema cabalisticum est.

Virgilius.

Budeus.